

B. g. y.

N^o 66. 47^a

54
4
CONTIO

POENITENTIAE PROPOSI-
ta publicis peccatoribus huius temporis
in instaurata Ecclesia, Videlicet deserto-
ribus, abnegatoribus, apostatis, ac
persecutoribus propriae reli-
gionis in fratribus.

**PER NIC: GAL: ET MATTH:
FLA: ILLY:**

Matth: 24.

Tunc tradent uos in afflictionem, & occident
uos, & eritis inuisi cunctis gentibus propter nomen
meum. Et tunc offendiculum patientur multi, & alius
alium inuicem tradent, seq; odio habebunt inuicem,
& multi pseudoprophetae surgent, ac seducent mul-
tos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet cha-
ritas multorum. Qui autem perseuerauerit
usq; in finem, hic saluus erit.

Matth: 10.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pa-
ter filium: & insurgent filij aduersus parentes, &
morte afficient eos: & eritis odio habiti ab omnibus
propter nomen meum. Verum qui sustinuerit
usque ad finem, hic saluus fiet.

QUANQVAM SAEPE NO-
stris nostrorūq; ac imprimis totius huius
Ecclesiae, tū miseris, tū periculis, non le-
uiter tristemur, cruciemur, ac cōturbemur, Ta-
mē profecto non minus nos excruciat, inopesq;
plane consilij reddit ista miserabilis rerum spe-
cies, q̄ foris passim in alijs Ecclesijs cernimus.
Videmus enim nouū, planeq; horribile miseriae
genus in Ecclesiam Dei a Satana inuectum esse,
quod cum in multis locis homines ueram ad-
huc, puramq; CHRISTI religionem habeant,
ea eis prorsus sit ad salutem inefficax & in-
utilis. Causa autem est, quia metu Antichri-
sti, eiusq; ministrorum, Ecclesiam Dei (alij ali-
ter) persequuntur. In nonnullis tamen locis
præter persecutionem etiam abominations
quædã Papisticae, religioni admiscētur, Vbiq;
uero ferme simul uel confessio est abiecta, uel
etiam insuper abnegatio adiuncta. Per quam
pestem uulgo, & nusquam ferme nō in populo
Dei grassantem adeo multae animae in æter-
num exitium præcipitantur, ut uix aliqua pe-
stilentissima hæresis plures perdere possit.

In eo porro miserabili damnationis statu,
tantarumq; animarum perditione, non est us-
quam ullus ferme concionator, qui exaltet uo-
cem, sicut tuba, populoq; sua horribilia pec-
cata indicet. Quin potius confirmant pleriq;
idq; uarijs modis miseros homines in eo exitia-
li furore (ut postea dicitur) cum quidē certo
certius sit, eos sine uera istorum horribilium
scelerum pœnitentia nequaquam saluari posse.

Hoc tristissimo Ecclesiae aspectu, infinita-
rumq; animarum periculo perturbati, ac per-
moti (Quanquam magno nos odio, & hæcte-
nus uera dicendo, præsertim apud potentes
onerauerimus, & hoc scripto sim? omnium ferme
hominum

hominū summam indignationem in nos com-
moturi) cogimur aliquam pœnitentiæ prædica-
tionem instituere. Nos quæ scimus, nos pio stu-
dio incitatos, rem non tantum utilem, sed &
plane necessariam hoc tempore Ecclesiæ Chri-
sti in hac prædicatione pœnitentiæ facere. Vi-
deant alij quoque Christiani, ne, cum nos ue-
ra dicere uel inuiti cognoscent, ueraci omni-
potentis Dei uoci, eos ad pœnitentiam salutemque
uocanti, non obtemperent, aut etiam (ut plæ-
rumque fit) irascantur & obstrepant.

Prius autem, quam ad prædicationem Pœ-
nitentiæ ueniamus, pauca nos de ratione prædi-
candæ pœnitentiæ, ac omnino uerbi Dei, dicere
necesse est. Nunc enim nouum, subtileque quod-
dam Antinomix genus in Ecclesia uiget, cum
plurique concionatores metu sic mundum de
peccato arguunt, ut homines uix uel diuinare
possint, sua peccata accusari. Vel enim tantum
in genere declamitant, uel etiam omiſſis præ-
sentibus sui populi peccatis, difficultatibus, &
erroribus, aliquid de Arrio, Manichæis, Iudæ-
is, aliisque antiquis hæreticis, et sceleratis dicunt.
Ac, ut paucis dicam, omnino eiusmodi mate-
rias studiose conſectantur, ex quarum tracta-
tione quam minimum odij sibi concilient, cu-
iusmodi est inprimis splendidus ille, plausibi-
lisque locus, de mirabili Dei sapientia in opificio
Mundi & hominis, deque prouidentia, miseri-
cordia, item locus de concordia & unitate.

Huiusmodi sane materias Theologi nostri
nō tantum coram suis Tyrannis, sed & coram
Turco, & ipso Antichristo cum bona ipsorum
gratia disputare possent. Interea autem tacent
præsentia, & nunc grassantia in Ecclesia DEI
mala, ut Antichristi nouas corruptelas, tacent
abnegationem, tacent persecutionem, In qui-
bus se eorum auditores cum Antichristo con-
iungunt,

fungunt, suasque manus horribiliter filij DEI sanguine contaminant.

Verum tam inepti uel potius perniciosi sunt eiusmodi conlonatores, ac si medicus, cum sibi curandum ægrotum aut uulneratum desumpsit, neglecto præsentis malo, det ei medicina contra alias aliquas ægri tudines utilia, aut etiam præseruatiua aliqua remedia contra morbos, a quibus iam quam minimum periculi est. Speculatores esse doctores DEus apud Ezechielem dicit, iuberque eos hostem aduenientem suo populo indicare. Clare ergo oportet eos significare, qua parte, & quam fortis ueniat, & ubi sit periculum, ut uulgus præmonitum suis rebus consulere possit. Pastores etiam uocantur. Oportet ergo eos clare indicare suis ouibus, qua parte lupus ueniat, & quasi ouis pelle tectus eis insidietur. Hæc præfari uolumus, ut ostenderem, necesse esse, Doctores monere suas Ecclesias de uoluntate Dei circa præsentis earum actiones & pericula, Præsertim autem, cum nouæ aliquæ fraudes uulgo ac passim grassantur. Sed iam ad rem.

Primum illa fundamenta nostræ huius scriptio nis iacta sint, & pro indubitatis habeantur, quod scilicet nostra Religio uera sit Christi religio, & Papa sit Antichristus. Ea enim, cum a pluribus iam sint solide probata, nihil necesse est, nunc nos ociose repetere. Nam nunc nobis tantum cum ijs res est, qui hanc religionem pro uera amplexi sunt, & Papam tanquam Antichristum damnarunt.

Propositum ergo nostrum est, dicere de ijs, qui sese quoquo modo cum Antichristo coniungunt, ac propter ipsum, eiusque ministros, aliquid contra Christum agunt. Quorum cum sint uariæ quasi species, de singulis oportet ordine dicere. Primum ergo dicemus de Abnegatoribus

toribus, deinde de Apostatis, tum de persecutoribus, denique & de desertoribus Ecclesie Christi. In tot enim, proh dolor, partes sectarum uel coetus auditorum Christi, qui ante paucos annos erat coniunctissimus, iam turpiter ac miserabiliter discissus est.

ABNEGATORES igitur eos uocamus, et esse clare affirmamus, qui uel uerbis, uel gestibus, uel omnino quoquo modo significauerunt, aut spem fecerunt aduersariis, se uelle ab hac religione ad ipsorum Interim deficere. Nihil enim refert, quomodo abnegationem significes, num uerbis, aut tantum aliquo gestu, ut olim in primitiua Ecclesia negantes tantum pauca grana thuris super aras Ethnicorum imponebant: aut coram statuis paululum caput inclinabant, Eleazaro, sacerdoti, Machabeorum tempore, proponitur, ut tantum gustet licitas sibi carnes, taceatque, ethnicis mentientibus eum suillas gustasse. Quod tamen ipsum facere ipse constanter recusat.

Talem autem suae uoluntatis significationem fecerunt alij promittendo Monarchis, Antichristi impietatem sedulo promouentibus, omnem obedientiam obseruationemque decretorum Imperij, ne Religionis quidem negotio excepto. Alij diserte promittendo eisdem persecutoribus acceptionem Interim & Concilij Tridentini. Alij eas uerborum promissiones etiam mutationibus aliquibus in religione, siue paruis, siue magnis factis, aut certe tentatis, confirmando. Huius porro sceleris etsi gubernatores sunt potissimum authores, tamen & subditi, cum id sciunt, nec usquam manifeste confitentur aut reclamant, nec superiorum abnegationem totius coetus nomine factam usquam propalam damnant, sed uitandae crucis gratia tacent, latius per impietatem patra pace

ce fruuntur, eius flagitij participes sese faciunt.

In hoc pulcherrimo facinore Adiaphoristæ uel principem locum obtinent. Totam enim religionem ita Antichristianæ conformant, ut plane uideri possint, (& sane id etiam Monarchis persuadere conantur) a uera religione ad Papam & papatum defecisse. Quod tam sæpe, & tam clare æditis iam hætenus scriptis, tum a nobis, tum ab alijs probatum est, ut nos iam plane pigeat eandem cantilenam toties repetere. Illud certe uerissimum est, quod hoc tempore, quo clara uoce confessio a germanicis Ecclesijs cœlitus flagitatur, omnis uel minima mutatio in religione, metu Antichristi, eiusque satellitum instituta, sit uera abnegatio.

Nec ullius momenti est, quod quidam dicunt. Atqui cum adhuc publice habeamus in templis pristinam religionem, satis indicamus, nos hanc doctrinam, & non papisticam amplecti. Respondemus, sciunt bene aduersarij non posse uno momento totam religionem abrogari, sed paulatim in re tanta progrediendum esse, eoque se nomine plerique gubernatores (ut ex publicis Imperij actionibus patet) coram Cæsare proxime excusarunt. Satis ergo habent aliquatenus, si iam tantum spes ac promissio eis fiat Defectionis, & aliqua initia operis cernant.

Hætenus diximus de abnegatoribus agniti Christi, qui hanc uerã, receptamque Iesu Christi religionem, metu Antichristi & eius ministrorum abnegant, sequæ eius Antichristianismum recepturos indicant. Porro, quantum scelus sit abnegare agnitam Christi ueritatem, norunt ij, qui uel utcumque aliquid de Christo audierunt. Iam ergo de Apostatis dicamus.

Vocamus autem eos APOSTATAS, qui iam Papatum magna ex parte in suis cœtibus, abiecta priori religione, restituerunt,

tuerunt, & puram Christi religionem abiecerunt. In quo sceleratorum ordine (exceptis paucis, qui prorsus totum Papatum acceperunt, ut sunt inconstantes Constantienses) principem locum Interimistæ obtinent. Illi enim propagam a Christo ad Antichristum defecerunt. Interim enim ipsissimus papatus est.

Eos consequuntur Adiahoristæ, qui & ipsi non obscure a Christo ad Antichristum recesserunt. Nam præter Papisticas Cæremonias, quas pro prioribus pijs amplectuntur, quibusq; necessario non pauci abusus adherent, etiam ipsum Antichristum in templo Dei collocant, subiiciuntq; omnes Ecclesias ei, ac eius lupis, Item & præcipuos articulos, nempe de Iustificatione & pœnitentiâ non obscure corrumpunt, papisticoq; ueneno inficiunt, Vt hæc alibi prolixè probata sunt. Iam de persecutoribus.

PERSEQVVTORES appellamus, & ob hoc horribile peccatū accusamus, eos, q, cū eandem Christi religionem nobiscum, aut habuerint, ut sunt Interimistæ, aut etiam adhuc habeant, ut sunt multi abnegatores, & quidam alij, tamen aut spe lucri, aut metu Antichristi, eiusq; Mancipiorū, antea alios quoq; pios, iā autē hanc Ecclesiā Christi, persecuntur, eaq; ad facienda manifestorum persecutorum mādata cogere conātur. Probatū autē clare est iā sæpius, tū a nobis, tū ab alijs, hostes nostros esse ueros Christi psequutores. Quare probationes illas hic iam repetere non est necesse.

Quantum porro, quamq; horribile sit istud plane Diabolicum facinus, Persecutio scilicet agniti Christi, non tantum homines, sed ne angeli quidem ipsi mente concipere possunt. Quid enim omnino detestabilius, magisq; nefarium dici potest, quam omnipotentem De-

rem Deum (qui te creauit & alit, quicq̃ miser
tus tui, cupiensq̃ te ex æterno exitio seruatum
in æternam uitam transferre, ex sua Malestate
descendens, formam serui accepit, iram patris,
infinitas miseras, & ipsum turpissimum sup-
plicium perpessus est, tibiq̃ suum beneficium
per suum Euangelium quotidie offert, teq̃ ad
id accipiendum plane paterno animo inuitat)
scilicet instar furiosorum Diabolorum perse-
quitur. Hactenus de persecutoribus. Iam de
Desertoribus.

DESERTORES porro eos nominamus,
& ob hoc ingēs peccatū reprehendim⁹,
qui, cum nobiscum eundem Christum
contra Antichristum agnoscant, & utcumq̃
confiteantur, sciantq̃ & fateantur, nos pro-
pter Christum ab Antichristo persecutionem
pati, adhuc & possint, si uelint, non parum no-
bis opitulari, Tamen metu Antichristi, eiusq̃
Tyrannorum nos non auxilio tantum, sed &
omni prorsus consolatione, quantum quidem
in ipsis est, destituunt. Quantum id peccatum
sit, facile quisq̃ cognoscet, qui hac uia secum
rem perpendet.

Primum clare Deus præcipit, ut diligam⁹
proximum, sicut nos ipsos, diligamus inq̃, non
uerbo & lingua, ut Ioannes inquit, sed corde
ac re, seu opere & beneficio, id est, ita serio de-
bemus nos mutuo diligere, ut alter alterius sa-
lutem nō minus, quā suam, procurare studeat,
adeo ut, sicut idem Apostolus inquit, etiam
propriam animam ponere sit paratus. Inquit
enim, Fratres debemus nobis hoc mutuo, ut
animas nostras pro fratribus ponamus. Te-
statur quoq̃ idem, frustra gloriari homines de
cognitione Dei, cum proximum non diligunt.
Sic & Paulus dicit, præcipue domesticis fidelibus
benefaciendum esse, & si quis domesticos ne-
gligat.

gligat, eum fidem abnegasse, & esse infideli
deteriorem.

Salomon quoque de eodem Charitatis ac of-
ficii genere grauiter præcipit, inquiens. Si re-
mittis in die tribulationis, angusta est virtus
tua. Libera eos, qui ad mortem rapiuntur, &
ad cædem trahuntur, ne cessa. Quodsi dixeris,
Ecce nescimus hoc, an non, qui ponderat corda,
ipse intelliget, & qui custodit animam, ipse
sciet, & reddet cuique homini secundum opus su-
um. Ita audimus, quam uehementer flagitet
Deus ut proximum nostra ope egentem iuue-
mus, nec ullam excusationem difficultatis &
periculi admittat. Dicit enim, nos debere pro-
ximo, ut animam pro eo ponamus, id est, ut
pro eius salute extremum discrimen adeamus,
& non, ut pro eo conuilium accedamus. Et
quid sane dubij esse potest, quin cum eiusdem
corporis Christi membra simus, mutuo nos iu-
uare perinde obligemur, ac alioqui sibi eiusdem
corporis membra mutuam opem debent & fe-
runt quamdiu in corpore & uiua membra sunt,
Quod cum non faciunt, manifeste ostendunt, se
uel mortua, uel prorsus non amplius esse mem-
bra uiui illius corporis in Christo.

Facile ergo hinc apparet, eos grauissime
contra diuinam uoluntatem peccare, & quales
sint suo se iudicio ipsos prodere, ethnicisque non
meliores esse, qui proximum sua ope egentem,
in difficultate & miseria deserunt. Quodsi in-
gens peccatum est, proximum sua ope desti-
tuere, facile intelligi potest, quanto sit detesta-
bilis, fratrem Christianum persequi.

Verum nobis alij nostræ religionis homi-
nes suam Charitatem & beneficium non tan-
tum ea ratione debent, quia proximi eorum,
eiusdemque Christi membra simus, sed etiam
propter alias duas grauissimas causas.

A. 5

Quarum

Quarum prior est, quod nos haecenus de
eis bene meriti simus in eo, quod animas no-
stras uere pro fratribus posuerimus. Nam (praeterquam,
quod hic ueluti in finibus istius Antichristiani incendij, per Ecclesias Dei grassantis, constanter stando, ei, ne perinde, ut ceperat, ad alios progrediretur, restitimus, quodque nostro exemplo & hostibus timorem aliquem incussimus, & nostris animum addidimus, atque ita impedimentum attulimus, ne tum politica, tum Spiritualis persecutorum Dei Tyrannis magis quotidie aueretur) scripta hic contra nos istos, ac uarios Antichristi, eiusque ministrorum conatus (quod alioqui nemo fermetimore impiorum facere uoluit) impressimus.

Quibus impij repulsi, & pij animati sunt. Ut taceamus illud, quod praecipuum est, nempe Satanam principem & ducem hostium, in quo uincendo tota certaminis difficultas consistit, nullo magis telo sauciari, uincique, quam fulgenti gladio diuini uerbi, item piorum preces per talia scripta excitari, quibus Satanam & seruum eius Mundum uincimus & prosternimus. Qua re magis alijs, quibus Interim missum est, quam nobis ipsis, quibus missum non fuit, in retinenda uera religione seruauimus.

Quod nisi factum fuisset, agnoscunt omnes uel mediocriter rerum gnari, haecenus ubique ferme pulsa uera pietate papatum regnaturum fuisse. Id ergo cum sciant omnes Christiani, plane ingens non tam nostrum, quam DEI beneficium per nos eis collatum esse, nobisque maximo periculo constituisse, imo & magna ex parte persecutores ad nos hoc praesertim bello opprimendos incitasse, facile possunt intelligere, quo iure nobis debuerint mutuum auxilium & opem, & quanto suo peccato id nobis negarint.

Posterior

de
no/
æ/
n/
an
ce/
lq/
em
q/
ca,
nis
ra
ni/
ti/
is.
pt.
pe
uo
it,
n/
er
r/
ni/
is/
on
es
q/
m
l,
e/
x/
/
/
s
r

Posterior causa grauioris obligationis, cur nobis desertores nostri adesse debuissent, est, quod sciunt e nostro exitio communis religionis periculū pendere. Sciunt enim, hanc urbem (absit uerbo inuidia) propemodum solam Antichristo supra memoratis rationibus, restitisse, fuisseq; ueluti propugnaculum, cōtra impiorum furorē in Ecclesiam Christi hoc tempore grassantem.

Sciunt ergo etiam, quod si (quod DEVS elementer auertat) ciuitas hæc aduersariorum uolentia oppressa fuerit, patebit summa facultas (nemine iam repugnante) Antichristo, eiusq; ministris, ueram Iesu Christi religionem grauis premendi.

Dicim⁹ hæc, quatenus humana mente prospicere possumus. Nā Christus & potest & solet (Ad hoc enim in altum ascendit, ut det dona &c.) plærumq; in summis difficultatibus, cum omnia uidentur esse desperatissima & perditissima, subito suæ Ecclesiæ succurrere, & pro patribus, ut psalmus inquit, dare filios, qui euangelizent uirtute multa. Vidit eius rei exempla plurima antiquitas. Vidimus & nos in hisce summis difficultatibus admodū insignia. Nam primum oppresso Antichristi armis Electore, inuenit præter omnium spem CHRISTUS locum, ubi utcunq; libere uagire, querulariq; contra Satanam, Antichristū, & seruum eorum mundum posset. Deinde conticescentibus, labantibusq; ijs, qui ueluti columnæ erant Ecclesiæ, Deus stulta mundi huius, & ea quæ plane nihil sunt, elegit, ut resistat sapientissimis mundi huius. Sed ad rem.

Quidquid ergo officij quocunq; iure Christo, eiusq; ueræ religioni debent nostri isti desertores, id & ea ratione nobis in isto nostro periculo debent, Siq; id non præstant, tam peccant,

cant, quam si ipsum Christum nostrum Domi-
num, eiusque religionem desererent, Quod & re-
uera faciunt, Angelus enim Iud. s. maledicens
& execrans partem quandam Israelitarum,
qui in periculo contra Ethnicos populo DEI
adesse noluerant, dicit, eos Domino opem ferre
noluisse, non dicit, eos homines aut Israelitas
in periculo deseruisse, Sed ipsum DOMINUM.

Neminem patitur Christus & Satan ueluti
quē incerti possessoris in medio uagari, Omnes
homines aut Christo aut Satanæ addicti serui-
unt. Qui non est mecum, inquit Christus, con-
tra me est, et qui mecum non colligit, dispergit.
Sæpe hoc bñcio dixim⁹ & scripsim⁹, q, qui nō
uolet cum Christo eiusque pusillo grege pati, ille
iusto DEI iudicio tam diu DEum uentrem &
fratrem eius Māmonam adiaphorizando colere
perget, donec tandem Christum eiusque Ecclesi-
am cum Antichristo persequatur. Id iam re ip-
sa fieri tristis experientia testatur.

Apparet ergo hinc, non una obligatione,
sed plurib⁹, usque grauissimis, omnes alios Chri-
stianos, ut huic Christi Ecclesiæ opem ferant,
obstrictos esse. Primum quia est seuerissimum
Dei præceptum, ut diligamus adeo proximum
nostrum, sicut nos ipsos, ac pro eo uel uitam
profundere simus paratissimi. Secundo quia
eis prius politicum & Spirituale beneficium,
idque plane ingens nostrorum maximo periculo, &
iam etiam damno præstitimus: Pro quo nobis
uisissim grati esse profecto deberent. Denique
& quia in nostro periculo ipsa uera Christi re-
ligio periclitatur, ut qui nos in hac cruce pen-
dentes deserat, ipsum Dominum Iesum, eiusque
ueram religionem deseruisse uideatur.

SED mirum quoddam, oculatissimumque
Dialecticorum genus hoc tempore subor-
tum est, qui cum Antichristum a Christo
diuidere

diuidere non possint, aut certe admodum ægre discernant, tamen interea tam sunt subtiles, ut Christianos a Christo, membra a capite suo, subtili diuisione diuellere pulchre norint. Dicunt persecutores et Desertores, etiãsi periclitatur & affligitur Elector, aut Magdeburga, tamen non propterea patitur aut periclitatur Christus. Quasi uero (subsannantes inquit) Christus & eius religio non possit stare sine Electore & Magdeburga. Non ergo persequimur aut deserimus Christum, etiãsi persequamur aut deseramus uel Electorem, uel Magdeburgam.

Verissimum sane est, Christum & steterisse antea sine hisce confessoribus & martyribus, & deinceps staturum & regnaturum, & nunc quoq; stare & pugnare, sine eisdem, contra Antichristum, eiusq; ministros & ipsum Satanam posse. Verum Christus aliquanto arctius se ad suos Christianos adiungit & alligat, cum eisq; conglutinat, quam isti Epicurei Christiani somniant. Dicit enim, se habitare in eis, se esse caput eorum, & ipsos membra sua, quibus si quis bene maleue faciat, ipsi id faciat, quos si quis persequatur, ipsummet Christum, & dilectam eius animam persequatur, quos si quis attingat, pupillam oculorum eius attingat. Item quos si quis sua ope egentem destituat, ipsum Dominum destituat ac negligat.

Tali porro dilectione, arctissimãq; conjunctione etsi omnes uere pios sibi Christus adnectat, tamen plerumq; aliquos ex reliqua suorum multitudine seligit, qui præ reliquis onus periculaq; confessionis sustinent, ueramq; pietatem promouent, & contra impiorum furorē tuentur. Tales fuerunt olim Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli, Item Moses, Iosue, Iudices, pii reges, & alij pii, salutareq; gubernatores Ecclesiastici & politici.

Quanquam

Quamquam autem nefas sit dicit, salutem Ecclesiae ex ullo omnino homine, excepto Christo, pendere, tamen experientia testatur & iuruisse illos peculiari ope Dei ad hoc delectos homines Ecclesiam, & illis cadentibus, uel naturali morte, uel alio casu, Ecclesiam quoque grauius concussam conuulsamque esse, testatur id & scriptura & totius fere Ecclesiae historia.

Illos autem ipsos homines, & si iam antea propter Christum ex aequo cum alijs credentibus in filiorum DEI numerum adscripti sunt, tamen ob hanc propriam splendidioris uocationem, ad quam eos Deus elegit, singulari quodam affectu fouet, tueturque, uultque etiam, teste Paulo, eos duplici honore, uel potius omni honore & officio a reliquis Christianis honestari colique, sicut econtra illis eisdem Satan magis, quam alijs prius insidiatur.

Hoc autem instaurati Euangelij tempore tales inter politicos gubernatores fuerunt, praecipue Elector Saxonicus, et ab eius casu haec ciuitas. Hi enim potissimum tum confessi sunt ueritatem clarissime, tum etiam praebuerunt tuta hospitia doctoribus, & prelis ueritatem religionis propugnantibus, & Antichristum oppugnantibus. Quare & si omnibus ueris Christianis est Christus coniunctissimus, utpote membrum sui mystici corporis, tamen honestiora illa membra, quae aliorum curam gerunt, proque eorum salute ueluti excubant, & ipse magis honorat, & ab alijs ea cum primis honorari uult & coli.

Quis ergo separabit nos afflictos Christi fratres, membraque ab ipso Domino capite nostro, qui nos tanta dilectione complexus est, sibi adglutinauit, num periculum aut gladius? num angeli, principatus, aut potestates? num Mors, daemones, Antichristus, aut eius Tyranni

Tyranni? Nemo profecto eripiet nos e manibus Domini nostri Iesu Christi, qui proprium sanguinem & uitam pro nobis profudit. Ac frustra falsi isti fratres nos sua epicurea sapientia a Christo, qui una nobiscum in hac tribulatione est, diuidere conantur, suntque persecutores nostri, uerissimi Christi persecutores, & desertores nostri, Domini Iesu Christi desertores, quoquo demum illi modo suas istas actiones, nescio quibus caelestibus somnijs aut coloribus pingant.

Non est tam imperitus suarum rerum Satan, Antichristus & ipsius Mundus, ut ignorent, undenam eis maximum damnum potissimum oriatur, aut quemnam uicissim eis opprimere sit utilissimum. Nō de nihilo est, quod Electorem semper praecipue suis ignitis telis petierunt, & iam oppresso eo hanc potissimum urbem suis machinis concutiant, & euertere conentur. Par autem fuisset eandem prudentiam & alios pios adhibuisse, ut praecipuis sui corporis membris, quae praeceteris a Satana impetuntur, ac in quibus totius corporis salus uertebatur, periclitantibus eo alacrius mature adessent, opitularenturque.

Nihil ergo satis dici potest de horribili tum persecutorum istorum, tum et desertorum peccato, qui non tam hanc miseram Christi Ecclesiam, quam ipsum Dominum Iesum, unicum humani generis seruatorem, eiusque salutare Euangelium furenter persequuntur, aut saltem deserunt.

Hactenus diximus de quatuor generibus hominum, qui hoc tempore grauissime contra Christum, eiusque ueram religionem peccant, & atrocitatem multiplicis huius peccati ipsorum declarauimus.

Deploramus

DEplorandum uero est, quod ad hæc horribilia peccata illud quoque (quod etiam longe petus est) accedit, quod plerique quidem suum peccatum excusant & tumentur.

Hocque nomine & grauis peccant, & magis detestandus est furor ipsorum, quam qui in historia Machabeorum ex Iudeis leguntur manifeste defecisse ad gentes, coniunctisque cum eisdem uiribus patriæ & religioni bellum intulisse: Adeo ut nesciamus an aliud simile exemplum usquam extet non tantum in Ecclesiæ, sed in totius fere mundi historia, quod gens aliqua sciens suam ipsa religionem in popularibus suis, armis sit persecuta cum hoste externo, factumque postea uel laudauerit, uel defenderit.

Qui uero utcumque iam confitentur, illi ipsi tamen ita frigide de eo dolent, ut nihilo minus quotidie in eo perseuerent. Excusationes alibi sublatae sunt, cum ostendimus neminem posse se excusare de ignorantia, aut etiam coactione, quia res nimis notæ sunt, et mandatum est Dei, ut quisque sciat, quid agat, præsertim in tanta re, ut est persecutio Ecclesiæ Christi. Ad hæc nemo debet ita hominum minas & crudelitatem timere, ut propterea filium Dei oppugnare uelit.

Certum illud est, nihil minus ferre posse Deum, quam excusationem peccati, sicut aliqui de Adam & Eua scribunt, item sicut Deus sæpe redarguit populum suum blandientem sibi in suis peccatis, & Pax, pax, quasi nulla Dei ira adesset, dicentem. Sic & de Phariseis inquit Christus, Si non uenissem, peccatum non haberent. Agnitos enim errores tuebantur. Nec quidem magis impedit remissionem peccatorum, quam sicut David psalmo 32. testatur, nolle coram Deo confiteri peccata sua. Et est sane prorsus difficile, humiliare se coram omnipotenti

potenti Deo, ipsiq; soli tribuere iustitiam, sibi
uero tantum iniustitiam.

HAEC ideo iam cōmemoram⁹, q̄ scim⁹,
ualde difficile fore plarisc; hominibus,
sibiipsis persuadere, ut se tanti peccati
reos coram D E O agnoscant & confiteantur.
Multa enim sunt impedimenta. Primum, ipsa
naturalis nostri ueteris Adami malicia & su-
perbia, quæ semper sibi iustitiam, Deo uero
iniustitiam pertinaciter tribuit.

Deinde Tyrannis Satana, qui non facile
sibi elabi patitur eos, quos tantis iam peccatis
inuoluit. Nec enim perinde facile est ex eius
ungulibus elabi, ut multi ociose somniant.

Tertio accedunt nostri Achitopheles, A-
daphoristæ, et Epicuristæ, magnæ autoritatis,
& potentia, uiri, quorum uel sola exempla ad
seducendum miserum uulgus satis essent. Qui
miris præstigijs & Sophismatibus, ista horri-
bilia peccata abnegationis, defectiois, perse-
quutionis & desertiois defendunt, excusant,
laudant, et comprobant, Atq; ita omnibus per-
suadent, eos non tantum non peccare, cum se
in eiusmodi sentina scelerum uoluant, Sed eri-
am honeste, pie, prudenter ac sancte coram
Deo & hominibus agere. Quin & eo usq; im-
pietatis ac impudentiæ Pseudoprophetae qui-
dam progrediuntur, ut, octo D E I posteriora
præcepta in difficultatibus & periculis fas ac
pium esse transgredi contendant.

Quarto huic eorum detestabili seductioni,
& dogmati adiunctus est Satana spiritus, qui
mirabili modo fascinat eorum mentes, qui se-
ductorum istorum mendacijs aures præbent,
eosq; ita peruertit, & prorsus immutat, ut non
agnoscas eosdem esse. Prorsus uiuam experi-
entiam uidemus incantationum Circes, quæ, ut
poetæ fabulantur, sua magia ex hominibus lu-

B

pos, ur

pos, urfos, canes, fues, & similes bestias effecerit.

Multos profecto, et magnos uiros nominare possemus, qui antea pie et cōstanter senserūt et loquuti sunt de religione, Charitatis erga fratres officijs, omnibusq; honestis octiōibus, & contraria detestati sunt. Qui iam istorum fascino ita dementati & excantati sunt, ut excusso Spiritu S. uel contraria sentiant, uel ipsimet ignorent, quidnam sentiant, & temere in suis cogitationibus et sententijs huc atq; illuc aberrant & ferantur, sicuti currus, excusso rectore, aut nauis amisso temone.

Quinto confirmant in errore homines in hac peccata immerfos Concionatores ubiq; qui ut optimi sint, plariq; tamen grauissima culpa non uacant. Cum enim deberent populo sua peccata, iuxta seuerissimum Dei mandatum indicare, non tantum id non faciunt pluri mi, atq; ita tacendo uidentur affirmare istam abnegationem, desertionem, & persecutionē, non esse peccata (Si enim peccata essent, omnes cogitant, præsertim tam horribilia, certe nostri concionatores nos de eis erudirent ac seueriter arguerent) Sed etiam absoluunt, & Sacramentum Eucharistiæ porrigunt ijs hominibus, quos pertinaciter in persecutione, abnegatione, uel filij Dei desertione perseverare probe sciunt.

Quod dum faciunt clarissime testantur, ista horribilia peccata, quibus suos auditores prorsus immerfos uident, non esse peccata, atq; ita, tum dant illis corpus DOMINI in iudicium, tum & eos in tanta impietate confirmant, tum deniq; & se ipsos istius horribilis iræ Dei participes faciunt, imo & grauius onerant, quam illi ipsi persecutores. De qua re, etsi nihil satis dici possit, dicerem⁹ aliquid prolixius,

lixius, nisi & res per se manifesta esset, & nos
in præsentiarum breuitati studeremus.

Deniq; accessit ad constabillendam mul-
torum impœnitentiam in prædictis peccatis
eorum, qui ante ob Christum passi sunt, fal-
sum testimonium in sua supplicatione apud
Monarchas facta, Accedet fortassis & nostrū,
quo suam passionem, suos fratres secum passos,
& sanctissimam patiendi causam, quam pro-
be sciuerunt esse ipsum Iesu Christi Euangeli-
um, blasphemie damnarunt, persecutores
uero, eorumq; persecutionem laudarunt.

Nam quod illi homines suam aliorumq;
piorum crucem ob uerbum Domini gestatam
coacti a persecutoribus damnarunt, id non
alleuiat persecutorum, aliorumq; impiorum
scelus, sed potius exaggerat, & simul ipsos fal-
sos testes (quod prorsus dictu horribile est)
facit omnium scelerum persecutricis partis
participes. Iusticia DEI, & peccati impiorum
atrocitas nulla nostra uacillatione & abnega-
tione, etiamsi omnes Christiani cupiditate se-
curitatis millies deierent, se esse iniustos, per-
secutores uero iustissimos, tolli, mutariue po-
test. Nostris uerbis rerum natura, uoluntas
Dei ac uerbum mutari non potest. Sed ipsi falsi
testes se tantum suo illo falso testimonio reos
participesq; faciunt omnis effusi piorum san-
guinis inde ab Abel, usq; ad præsens tempus.

Confirmantur ergo in sua impœnitentia
magnopere impij etiam isto nostrorum falso
testimonio, ut pertinacius in suo illo furore,
sine ullo timore Dei, ac resipiscentia perseue-
rent. Plurimum enim, idq; non inmerito esse
existimatur, cū ipsemet aduersarius se, suamq;
causam damnat, & suum aduersarium laudat.

Præter hæc omnia Diaboli uincula, qui-
bus suos captiuos tenet, quidam etiam parti-
cipes

cipes facti sunt Spoliorum Christi. Rapuerunt enim tum huius Ecclesie bona, tum & aliorum piorum, quæ non libenter reddunt, aut se iniuste possidere fateri uolunt. Verissimum autem est, ad ueram pœnitentiam requiri restitutionem eorum, quæ iniuste alteri detraxeris, cum id tibi possibile est. Sed de hac re postea.

His ergo tam multis Satanæ laqueis capti & constricti ita tenentur omnes Apostatæ, Abnegatores, Persequutores & Desertores Euangelij Iesu Christi, ut non facile se inde explicare, & ad salutarem pœnitentiam reuerti possint.

SED agant sane seriam pœnitentiam uel pauci uel multi, Id enim in manu Dei est, nostrum est tantum ostendere ex Verbo Dei omnibus salutarem uiam ad Deum reuertendi, Et sperandum est, Verbum Dei iam quoque non sine fructu in multorum aures illapsurum, sicut Esaias testatur. Dicemus ergo pauca nunc de necessaria salutariq; pœnitentia istorum quadruplicium peccatorum, de quibus hactenus diximus.

Veram quidem, salutaremq; pœnitentiam non pluribus partibus, quam contritione & fide constare, nec etiam necessarium esse, certam Contritionis quantitatem, gradumq; præscribi, ut Papistæ uolunt, haud dubie uere a nostris probatum est. Sed tamen ueram quoque esse Contritionem oportere, & non fictam, quæ etiam suos quosdam fructus ferat, certum est. Plærumq; enim homines simulant se de præteritis peccatis dolere, & tamen interea pœnitentiæ, quam ore profitentur, uita ipsorum & facta reclamant: In eisdem enim peccatis perseverant.

Quare diuus Iohannes, ut istam simulatam pœnitenti-

poenitentiam excluderet, seueriter flagitat fructus poenitentia dignos. Idem fecit & primitiua Ecclesia, unde postea hypocritæ suam satisfactionem commenti sunt. Sed abutantur hypocritæ pia doctrina, ut uolunt, certum tamen est, ueram ac seriam contritionem seu dolorem de admissis peccatis adesse oportere. Qui si aderit in corde, foris quoque profecto, contrarijs prioris uitæ operibus sese ostendet.

Hoc ergo tempore istis tam atrocibus publicisque peccatoribus, de quibus superius ordine diximus, haud dubie uera, ac plane seria contritio, quæ se etiam exterius convenientibus fructibus exerat, est pernecessaria.

Quales porro illi fructus esse debeant, etsi non est difficile cuiuis per se scire ex Decalogo, Tamen nos quoque trium iam tantum mentionem faciemus. Quorum primus est, Dati scandalum amotio, & gloriae Dei restitutio. Secundus, Satisfactio ciuilibus uel dati proximo politici damni restitutio. Tertius, læsi fratris reconciliatio. Primum ergo de scandalum amotione dicamus.

Singuli isti quatuor ordines publicorum peccatorum publico exemplo, nonnulli uoce, quidam etiam scriptis, ut Adiaphoristæ, contendunt, se rem non tantum licitam, sed & piam & sanctam facere, dum sic abnegant et persequuntur Christum, ut eorum actiones & facta publice testantur. Quod dum faciunt, infinitis dant scandalum. Impios papistas in sua impietate confirmant, pios quosdam subuersos prorsus ad similem impietatem pertrahunt, alios in confessione & cruce languefaciunt, Spiritum Sanctum in eis miserabiliter contristant. Nec tantum presentibus hominibus dant scandalum, sed etiam omni posteritati, quæ cum similia pericula incident, aut etiam extra

pericula tantorum hominum impia facta tanquam salutaria prudentia imitabitur. Quantum autem peccatum sit dare scandalum, uel uni quidem pusillo, ne dicamus infinitis, ut iam sit, satis Dominus in Euangelio declarauit.

Præter scandalum etiam causam præbent, ut nomen Domini male audiat. Impi enim in sua impietate confirmati, & alioqui cernentes doctrinæ huius professionem tam facile abiici, deserui a suismet cultoribus, quin & multorum etiam armis duriter uexari, irrident mox & totam religionem hanc, & Spiritum Sanctum, harum Ecclesiarum instauratorem, & ipsum Deum, religionis huius authorem.

Quantum autem scelus sit dare occasionem, ut nomen Domini propter nos blasphemetur, cum Omnes ad gloriam Dei conditi simus, cumque Dominus Iesus mandet, ut luceant opera nostra coram hominibus, ut uidentes homines nostram piam conuersationem, patrem cœlestem glorificent, facile est cuique intelligenti ratiocinari. Nec leuiter istis tantis malis occasio data est, sed publice, & in causa publica religionis, quod criminis uim supra modum auget.

Hæc duo ingentia mala, nempe Scandalum & uiolationem gloriæ Dei omnino necesse fuerit corrigi ab authoribus, si quidem uere poenitentiam egerint.

Non poterunt autem aliter corrigere, nisi præter intermissionem prioris peccati, exhibitionemque boni ac contrarij operis, publice fateantur & testentur, se grauiter peccasse, prioresque actiones & consilia tanquam prorsus impia damnare.

Varij tamen, multumque inter se differentes sunt huius generis peccatores. Alij enim tantum utcumque assentiendo scandalum dederunt.

Alij uero

Alij uero etiam publicis actionibus, ut scriptis, concionibus, mutationibus &c. Alij item ob maiorem auctoritatem plus obfuerunt, alij minus. Quare & in tollendo scandalo alijs alia ratio necessario erit tenenda.

Ad amolienda etiam duo ista ingentia mala, nempe datum scandalum & uiolationem diuinae gloriae authores, cogit non tantum ipsa poenitentiae ratio, quae studet ea corrigere, de quibus quis poenitet, sed etiam praecipuum dilectionis Dei & proximi. Si enim alterutrum horum diligimus, certe ea, quae ipsos, nostra praesertim culpa laedunt, amoliri conamur.

Secundus poenitentiae fructus, qui necessario istorum peccatorum poenitentiam sequi debet, est restitutio dati damni. Constat tum alios pios, qui hoc tempore ob Euangelium aliquid passi sunt, tum & in primis hanc Ecclesiam multipliciter ab alijs Christianis politicis damnis affectam. Alij eam praedando laeserunt, alij occupando bona & redditus in alijs locis sitos, alij militando, alij iuuando persecutores uel sumptu uel com meatu, alij debitum auxilium negando, alij aliter. De his omnibus una est Regula, quae extat apud Augustinum.

Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum, id est, natura Poenitentiae flagitat, ut qui causam damni alicui praebuit, is eidem, quantum omnino ei possibile est, satisfacere seruo, ac ex animo conetur. Nam excusationem eorum qui dicunt, se coactos fuisse, alibi ostendimus nihil prorsus in hac causa ualere.

Saepe de hoc fructu poenitentiae scriptura loquitur, ut cum dicit, non posse Iudaeis Deum placari, quia manus eorum sanguine sint contaminatae & domus eorum plenae rapina. Quare & Zacheus agens ueram poenitentiam pol-

licetur, se satisfacturum omnibus, quos defraudat, aut aliquo damno affecerat.

Tertius poenitentiae fructus est, Læsi fratris reconciliatio. Notum enim est, quod Christus iubet deponere munus, quod iam iam offerre Deo uolebas, ac prius fratrem læsum reconciliare, haud obscure indicans, nō placiturum Deo munus, nec cum exauditurum tuas preces, priusquam fratrem offensum places.

Offenderunt porro isti peccatores, de quibus supra diximus, multipliciter suos in Christo fratres. Nam nō tantum hosce Christianos, aut aliquos alios politicis damnis affecerunt, sed & Christi pusillos ubiq; dispersos læserunt, imo & Spiritum Sanctum in eis contristarunt, Idq; grauissime, nec uno modo, sed pene infinitis, quos iam enumerare non uacat, Sed facile a quouis colligi possunt.

Nec profecto est consultum prædictis peccatoribus, ut istam fratrum reconciliationem diu differant, si quid omnino Dei iram, pusillorumq; Christi gemitus ualere putant. Suadet & Christus, ne uel unicum ex pusillis eius contemnamus. Angeli enim, inquit, eorum faciem Patris intuentur, & Spiritus Sanctus ab istis falsis fratribus grauiter ac multipliciter in eis contristatus, contra eos ad patrem coelestem miserabiliter ac indefinenter gemit.

Putant falsi fratres iam, se non tantum esse in Ecclesia, uerum etiam in ea ueluti regnum quoddam obtinere. Sed profecto conformando se cum Antichristo in religione, selungendoq; a pusillo grege Christi, in cruce pendente, confirmando impios, & languefaciendo pios, grauiter Ecclesiam offenderunt.

Ac, si saperent, summo id studio agerent, ut quam primum ei reconciliarentur, ne tam multa pia corda contra ipsos ad DEVM ad
fidue

fidue suspirarent. Placare autem Ecclesiam,
laxosq; Christi pusillos eodem modo poterunt,
quo & datum scandalum tollere, nempe ueram
pœnitentiam agendo, ac publice testando, se pri
ora illa consilia & facta damnare, & ab Eccle
sia Christi ueniam petendo, quod suæ tran
quillitatis gratia, partim descruerint pios in
cruce pendentis, partim etiam abiecta con
fessione se ad Antichristum in religione & pi
orum persecutione aggregauerint.

Necq; hæc quidem dicimus, ut pauidis alio
qui cōscientijs laqueos inijciamus, sed ut falsos
fratres secure iam peccantes, & iram Dei con
temnentes ad seriam pœnitentiam reuocemus.
Scimus enim satanam omnibus etiam pientis
sime dictis abuti probe nosse. Fiet ergo haud
dubie, ut sicut multi superbe uel Epicuree po
tius hæc pœnitentiæ prædicationem irridebunt:
Ita rursus aliqua contrita corda scrupulosas
hinc curas hauriant. Non ignoramus esse mul
tos passim in singulis ciuitatibus & cœtibus,
qui ex animo dolent a suis gubernatoribus ita
cum Christo agi, & cuperent aliter rem age
re, si possent. Verum sciant hæc non scribi
eis, qui cupiunt, & non possunt, modo serio ac
uere cupiāt, Sed illis, qui aliquid possunt, & nō
uolūt periculi causa. Sed uiderint, ut unusquisq;
saltem animum ac uoluntatem aperte confite
atur testeturq;.

Quibus hominibus nos iam opitulari non
possumus. Variæ enim sæpe sunt circumstan
tiæ rerum, personarum & temporum, quibus
non una aliqua regula dari potest. Quare illi
a pijs doctisq; pastoribus suorum scrupulorum
explicationem petant. Habemus enim adhuc,
Dei beneficio, satis multos doctores, passim in
Ecclesijs satis scientiæ habentes: Utinam eti
am perinde feruenti, zelo graui constantia, pia,

ac consulta parrhisia instructi essent. Nos quoque, si quis consulet, libenter ei, quantum poterimus, succurreremus.

Hactenus diximus de tribus fructibus poenitentiae istorum quadripartitorum peccatorum, qui fructus necessario eorum conuersionem sequi debeant, si quidem ueram poenitentiam de praedictis peccatis agere uoluerint.

Recitabimus iam stultas nostras cogitationes, quas saepe annis superioribus ante ferale hoc bellum Ecclesiae habuerimus. Cum uideremus neminem non in his regionibus uel optimum ac constantissimum Christianum praese ferre, arbitrabamur, hic uel prorsus non, uel haud facile posse persecutionem excitari. Nam principes ac potentes, ut pote & ipsos Christianissimos, id nequaquam facturos, ut ipsi persequerentur Ecclesiam, & ut illi uelint, tamen praefectos, ciuitatumque consules in id facinus non consensuros, Quodsi & illi consentirent, saltem milites, stipatores, lictores & carnifices nequaquam tanti sceleris se ministros exhibituros. Denique & uulgus ipsum non passurum, quenquam in ipsos grassari. Verum Deus bone, quam stultae illae nostrae cogitationes fuerunt? Arbitrabamur nos, omnes uere Christianos esse, qui Christum ore profiterentur, eiusque sacram mensam accederent. Sed longe aliter se rem habere tristi experientia iam, proh dolor, didicimus.

Triginta continuis Annis Antichristus bellum contra Ecclesiam mouere conatus est, caque ad Monarcharum genua prouoluta suppliciter pacem petijt. Tandem cum Deus Sathanae & Antichristo horam potestatis tenebarum concessit, non necesse fuit, Antichristum ab extremis orbis Terrarum finibus Turcos, Tartaros aut Mauros ciere, hic, hic, in Ecclesia
Del

Del inuenti sunt, qui, quo aliquam partem
lam ex uestibus miseri Christi nancisci possent,
promptissimi fuerunt ad grassandum, ferro, ac
igni, omniq; crudelitatis genere, in uiscera suæ
matris Ecclesiæ, mēbraq; Christi Seruatoris.

Quin & alios quoscunq; potuerunt ad tam
tetra facinora, uel arte, uel ui, pertraxerunt.
Horribile profecto est, quod tam multos etiam
uere pios isti cogunt, ut se sanguine Christi con-
taminent, & adhuc se in tam atrocibus delictis
excusant, imo uero & tanquam optimos ac
constantissimos Christianos deprædicant.

Inauditum prorsus defectionis & mem-
brorum Christi in se mutuo grassantium ex-
emplum, Machabæorum quidem tempore ali-
quid propemodum simile accidit, sed illi præ-
senti morte coacti erant, nec se excusabant.
Quare neminem seducebant. Nostris falsi fra-
tres non præsentis periculo, sed minis tantum
uerborum permoti, imo uero multi tantum cu-
piditate alieni, uel etiam odio ac æmulatione
fratrum incitati, fauere ac insanire contra Do-
minum Christum & Ecclesiam eius cœperunt,
Et in tam manifesto immaniq; furore habent
suos parasytos, pseudoprophetas, qui non tan-
tum excusant eos ac laudant, Sed & alios ab-
eorum furore & impietate dissentientes, tan-
quam duos, superbos, seditiosos & prauo Spi-
ritu agitados accusant. Qua ratione (ut ipsi
met confitentur) pios egregie languefaciunt,
impios uero in suo furore confirmant, atq; ita
infinitos prorsus homines horribiliter seducunt.

Sed quid nos querimus, aut falsos fratres
frustra diutius accusamus, cum uideamus, ami-
sisse nos iam ex Ecclesia ipsas nostrarum dis-
putationum hypotheses & fundamenta, de
quibus inter pios nunquam omnino dubium
fuit, nempe, Nullam debere esse coniunctionem
inter

inter Christum & Bellial, lucem & tenebras,
Neminem posse duobus Dominis, praesertim in
Religione, seruire. Antichristum, praesertim
agnitum, modis omnibus fugiendum, & dete-
standum esse.

Summa. Satan cum omnibus infernalibus
furijs per Ecclesiam Dei iam furenter grassa-
tur, grauissimis peccatis, & praesertim istis
praedictis quatuor, multos etiam pios horribi-
liter contaminans. Concionatores autem, qui
ueluti speculatores, pastores, & canes gregem
Domini a Diabolo & Antichristo custodire
debebant, prorsus obmutuerunt. Vbi enim
maximum periculum gregi est, ne cruce Christi
affligantur, tacent. Nec tacent tantum, sed &
absoluendo, & corpus Domini in abusionem
impenitentibus dando, eos in scelere confirmat.

Nos, quantum potuim⁹ ueritatem peccati
& irae diuinae omnibus adumbrauimus. Qua-
re mundi sumus a pereuntium sanguine. Qui
uult Christum per angustum callem crucis in
regnum caelorum sequi, sequatur. Qui uult per
latissimam uiam pacis Mundi, ad Diabo-
lum furenter rucere, ruat sane. Domi-
nus Iesus seruet electos suos
ex hac praua genera-
tione, ac Sata-
nae laqueis,
Amen.

Ezechiel. Cap. 33.

RURSVM FACTVM EST VER-
bum Domini ad me, dicens, Fili homi-
nis, Loquere ad filios populi tui, & dic
ad eos. Si induxero gladium super terram, &
acceperit populus terrae uirum aliquem de fi-
nibus suis, posueritque eum sibi speculatorem,
& is

& is uiderit gladium uenientem super terram,
clanxeritq; tuba, & monuerit populum diserte,
& audiendo audierit uocem tubæ, & moneri
nolit, ueneritq; gladius, & tulerit eum,
sanguis eius erit super caput eius. Vocem
enim tubæ audiuit, nec passus est se moneri,
idcirco sanguis eius in eo erit, is autem, qui se
moneri passus est, seruabit animam suam.

Quod si speculator uiderit gladium ueni-
entem, nec clanxerit cornu, & populus diserte
non fuerit præmonitus, & uenerit gladius, &
abripuerit ex eis animam, talis propter iniqui-
tatem suam abreptus est, sed requiram sangui-
nem eius de manu speculatoris. Et te quidem,
Fili hominis, constitui speculatorem domus
Israelis, ut audias ex ore meo uerbum, & di-
serte moneas eos ex me. Quum dixerò impio,
Impie tu certissime morieris, tu uero non fue-
ris loquutus, ut diserte moneas impium, ut dis-
cedat a uia sua, ipse impius in iniquitate sua
moriatur, & sanguinem eius de manu tua re-
quiram. Si uero tu diserte monueris impium
a uia sua, ut ab ea discedat, is autem a uia sua
conuersus non fuerit, ipse in iniquitate sua mo-
rietur, tu uero liberaasti animam tuam.

Iubet hic DEVS concionatorem additis
grauissimis minis, ut moneat suum populum
de præsentibus peccatis & de instanti pericu-
lo, idcirco diserte, non de eo, quod ante bis mille
annos Trojanis aut Babilonis imminuit.

Ezechiel Cap. 34.

ET FACTVS EST SERMO DO-
mini ad me, dicens, Fili hominis, uaticini-
nare contra pastores Israelis, uaticinare,
& dices ad eos, nempe, ad pastores, Sic dicit
Dominus Deus, Væ pastoribus Israel, qui pa-
uerunt seipsos. An non gregem pascere debent
pasto-

pastores? Pingue comeditis, lana induimini,
quod crasum est, mactatis, gregem non pasci-
tis: debile non confortastis, aegrotum non sa-
nastis, contractum non obligastis, propulsum
non reduxistis, & perditum non quaesistis,
quin in duritia & seuitia dominati estis eis. Et
errarunt absque pastore, fueruntque cibis omni-
bestiae agri, & palantes. Errauit grex meus in
omnibus montibus, atque in omni colle excelso,
& in omni superficie terrae dispersus est grex
meus, nec est qui quaerat, aut requirat.

Minatur hic DEVS Doctoribus, qui suis
commotis securitatique consulunt, debile, aegro-
tum, contractum, propulsum, perditum non cu-
rant, sed insuper duriter dominantur. Aristo-
teles percommode dicit, medicum non sanare
hominem, id est, speciem seu ideam, sed indiui-
dua. Cui dicto recte addi potest, non tam indi-
uidua eum sanare, quam singulos indiuiduo-
rum morbos. Sic & Deus in hoc loco uult pa-
storem bonum singulorum indiuiduorum, sin-
gulos morbos curare, & non tantum ideas
pascere, sicut faciunt pastores, qui non accom-
modant suam doctrinam ad praesentia peccata
& pericula gregis, sed & insuper ouibus apud
eos salutaria pabula quaerentibus, duriter &
acerbe responsant, Monentes uero aut orantes
fratres, ut respiscant, tanquam furiosos, & a
Diabolo agitados, damnant, & execrantur.

Quare grex Domini, ut scriptura inquit,
passim dispersus in omnibus montibus ober-
rat, omnium ferarum rapinae expositus est.
Hic una particula gregis sibi tale Interim som-
niat, alibi aliud. Hic lupus Sidonius lacerat
oues Domini, illic ursus Islebius. D. Interim
cum suis Interimistis, istic uulpes Morus, Psef-
sing: cum reliquo manipulo Adiaphorista-
rum. Nusquam uero non Arctolyceus & eius
ministri

ministri, Tyranni, aut persequuntur pios, aut eos ad persequutionem Ecclesiæ DEI compellunt.

Hasce rabiosas bestias per gregem Domini grassantes ignorant Idæarum pastores, ac interea ociosi aliquam ueterem cantilenam suauiter modulantur, dicentes, melius esse aliquas Ecclesias habere, quam nullas, pulchre inuertentes illud Christi optimi pastoris, qui relictis 99. ouibus, abijt quæsitum unicum perditum. Illi enim patiuntur 99. dissipari, et a seuisissimis bestijs deuorari, ut modo unicum, id est, suum uentrem a periculis illæsum conseruent.

Ezech. Cap. 34.

PROPTEREA AUDITE PASTORES uerbum DOMINI, Vtuo ego dicit Dominus, si non, eo, quod oues meæ fuerunt direptioni, & factæ sunt oues meæ cibus omni bestiæ agri (eo, quod non esset pastor) & quod pastores mei oues meas non requisierunt, sed pastores se ipsos paucrunt, oues autem meas non paucrunt. Idcirco pastores audite uerbum Domini, Sic dicit Dominus Deus, Ecce ego contra pastores, & requiram oues meas de manu eorum, & faciam eos cessare, ne ultra pascant oues, neq; pastores pascant ultra seipsos, sed eripiam oues meas ex ore eorum, neq; erunt eis cibus.

Accusat & minatur in præcedentibus Deus falsis fratribus, tum Cainis, tum Balaa-
mis, persequutoribus, & pseudoprophetis, quæ
duæ pestes plærumq; simul esse solent. Nam
Tyranni uolunt habere pseudoprophetas. Ty-
ranni sunt, qui duriter pios, ueluti pingues ac
præferoces arietes aut hirci, cornibus imbecil-
liores oues, superbe protrudunt, sternunt &
conculcant. Pseudoprophetæ uero purissima
religio

religionis piarum animarum pascua & riuos
conculcant, Zizania, fermento, stercore & luto
contaminant. Tales pingues & nocuas Besti-
as an non plurimas per gregem Domini hoc
tristi tempore insanire uideamus, cuius cogi-
tandum relinquimus?

SEQVITVR PROPHECIA DE
malis pastoribus ultimi temporis, An-
tichristo, eiusque ministris, Interi-
mistis, & Adiaphoritis.

Zachar. Cap. ii.


ET DIXIT DOMINVS AD ME.
Adhuc sume tibi arma stolidi pastoris,
quoniam ecce ego excito pastorem in ter-
ra, qui gregem concisum non inuiset, nec stollidam
ouem requireret, fauciam non sanabit, stan-
tem & firmam non pascet, neque fulciet, carnem
quoque pinguioris edet, & ungulas eius dif-
findet. Væ pastori idolo, qui gregem
deserit, gladius imminet brachio
eius, & oculo eius dextero,
brachium eius plane ex-
arescet, & oculus
eius dexter om-
nino hebes-
cet.

F. I. N. I. S.

Prouerb : 28 :

*Deserentes legem solent laudare impium, Sed
custodientes legem rixantur cum eis.*







CONTIO

POENITENTIAE PROPOSITA
ta publicis peccatoribus huius temporis
in instaurata Ecclesia, Videlicet deserto-
ribus, abnegatoribus, apostatis, ac
persecutoribus propriae reli-
gionis in fratribus.

PER NIC: GAL: ET MATTH:
FLA: ILLY:

Matth: 24.

Tunc tradent uos in afflictionem, & occident
uos, & eritis inuisi cunctis gentibus propter nomen
meum. Et tunc offendiculum patientur multi, & alius
alium inuicem tradent, seq; odio habebunt inuicem,
& multi pseudoprophetae surgent, ac seducent mul-
tos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet cha-
ritas multorum. Qui autem perseuerauerit
usq; in finem, hic saluus erit.

Matth: 10.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pa-
ter filium: & insurgent filij aduersus parentes, &
morte afficient eos: & eritis odio habiti ab omnibus
propter nomen meum. Verum qui sustinuerit
usque ad finem, hic saluus fiet.